

## Glossemata latina.

---

Martyrius quarti vel quinti saeculi grammaticus exigue doctus cum libellum de B et V eum componeret quem Cassiodorus in orthographicis excerptis et integrum nuper Keilius edidit (grammat. lat. VII p. 165 ss.), ut oculis mentique occurrerent vocabula quae per alteram utram litteram scribenda essent, glossaria illorum temporum hominibus usitata inspexit et percensuit, quae si aetatem tulissent, de vetere ac plebeia latinitate videmur scituri plusculum. unum ex eis quia latina nomina translata in graecum exhibuit, non dissimile fuit eius quod Philoxeni nomine inscriptum H. Stephanus et Vulcanius ediderunt. itaque Martyrium non nulla et Philoxenum eisdem verbis interpretari videmus, ut *vespa ἀνθηδάν*, *beta σεντλον* (ἢ κατὰ Ἀττικοὺς τεῦτλον), *bellaria τὰ τραγήματα*, *berna ὁ οἰκογενῆς*, *gibbus κυρτός*, *obiter κατὰ ταῖτὸν* vel ἐν τῷ αὐτῷ, *larba δαιμόνιον*, *vibex ὁ μώλωψ*. et quod Martyrius p. 173, 1 *ballaenam* et *ballistram* scripsit, pariter et copulata nomina et syllabas expressas legimus apud Philoxenum. verum tamen alia hic commemo-ravit utpote conlectis exemplaribus locupletior quae artis auctorem fugerunt, nam ubi *bonum* tantummodo ille posita in capite B littera regulam spernere ait, oblitus est *botuli* et *boleti*, ubi *vur* syllabam deficere praeter proprium nomen Burriam, neglexit prototypum eius *burrum*, alia Martyrius tradidit ignota Philoxeno ut *battuatores τοὺς βασανιστάς* coniunctos cum *battualibus* unde pugnae nomen posterior aetas deduxit (p. 178). atque uberiorem sibi interpretationis materiam in promptu fuisse orthographus semel indicat de Virbio disserens p. 181 ubi caussas nominis quattuor profert, esse virum bis factum aut virum bonum aut herobium tamquam ἥρωα ἀναβεβιωκότα aut deum qui viribus praesit. sed quaecumque apud Martyrium inveniuntur glossas hoc loco proponere doctique viri in hoc genere elaborantis operam anteverttere supervacaneum videtur, satis mihi erit quod supra posui, glossaria illum adhibuisse ad perdiscendam latini sermonis copiam utilissima, id testimoniis ipsius confirmare.

p. 167, 7: *excipi cognovimus haec quae subiecta sua cum interpretatione reddemus, quae nusquam nisi in diversis cottidianis glossatibus repperi, batiola ποτήριον, basus φαλλός τὸ αἰδοῖον τῶν βιολόγων, batulus μογιλάλος: haec nos quoniam lecta non invenimus, inscritata relinquimus.* batiolam novimus ex Colace Plautina (cf. Ritschelius ad Stichi v. 694). basus nusquam appareat, sed quoniam et in glossariis B et V saepe permutantur et Martyrius licet profuturum se sperarit prava legentibus atque scribentibus (p. 166, 2), tamen besicam Favium balvum aliaque ipse prave protulit, pro vaso illud scriptum esse existimo: forma eadem libertinum utentem Petronius fecit, vasa vasculum bene vasati non raro virilitatis causa nominantur, fascinorum ingentium rubore mimos ac theatra delectari ecclesiastici scriptores multum queruntur. neque vero omittam ex Politiani codice Keilium descriptsse *babus* φαλλός, quod comparari possit cum Graecorum Phrygumve vocabulis βάβαλον et βάμβαλον quae τὸ αἰδοῖον significarunt teste Hesychio. etiam *batulus* in Latinis novum est, graeci grammatici Βάττον βαττολογίαν βατταρίζειν explicant similiter (Etymol. M. p. 191, 21). nescio an emendatio hinc petenda sit glossae graecolatinæ in Vulcanii thesauro p. 542, 52 sic editæ *Μογιλάλος Vitulus*.

p. 174, 9: *bam et vocalibus aliis intervenientibus in prima syllaba nullius nominis enuntiari cognovi nisi in glossematis bambam δέσ्यαρον atque bambalo ὁ ψελλιστής quae per B mutam scribuntur.* bamma et embamma imperatorio aevo in latinum sermonem recepta sunt, bambalo rectius mutabitur in *bambalio* quod iam Fulvio patri coniugis Antonii cognomen erat ex contumelia tractum propter haesitantiam linguae stuporemque cordis (Cicero Philipp. III 16).

p. 175, 3: *bar cum incipit syllaba, B mutam habuerit positam ut barrus ἐλέφας, bardus ἀναισθῆτος, bargus ἀφνῆς, barba et quod in glossematis inveni bargina ἡ προσφάνησις βαρβαρική.* item Philoxenus bardum ἀναισθῆτον interpretatur et barginnam προσφάνησιν βαρβάρον, huic vocabulo unam N potius quam duplum convenire et natura eius docet et versiculus Capri orthographiae inmixtus quem Keilius VII p. 105, 8 sic mallem edidisset: *bargina* (sive *bargena*), *non barginna*, genus cui *barbaricum* sit. haec quidem satis nota sunt, at *bargus* non extat nisi in glossariis ut in Amproniano *bargus*, *ingenio carens* ubi fuerunt qui restitui vellent *bardus* (Hildebrandus gloss. Paris. p. 28), Martyrii autem indicio cautum est ne oblivionis iniuria verbum adficiamus antiquum. fuit igitur aliquando *bargus* neque origine nec vi aut usu multum di-

stans a bardo et barone, nam in lexico graecolatino p. 406, 14 Vulc. ἀφυῆς exponitur *bardus*, *sine genio vel ingenio*. adnumerandum illi nominum familiae fortasse etiam *barculae* est Petronianum sat. 67 quo stultos designari opinor.

p. 176, 14: *bassus etiam id est crassus* (*grassus cum libris* Keilius) *in glossematis repperi et per B mutam scribi cognovi*. similia e glossariis Loewius congesit in prodromo p. 66 et VIII *bassus pinguis obesus*, quibus accedit ex Philoxeno *bassus ἔγχυλος*. plane congruit Scaligeri glossa *bassus crassus*, nisi tamen ex Martyrii commentario ea sumpta est, cum etiam quae supra scripsi *basus φαλλός* eqs. Scaliger rettulerit (Iahnus prol. Persi p. LXXXVIII n. 2) evidenter mutuatus a Martyrio.

extremam grammaticus glossematum mentionem facit, postquam *vis* quod est potestas per V, quod numerum significat per B scribendum praecepit, p. 177, 9 his verbis: *bissum etiam quod integrum significat ἀκέραιον, per B mutam in glossematis reperi*. nusquam praeterea legi id vocabulum memini nisi in Philoxeno p. 30, 44: *bis δις, bissum ἀκέραιον*, sic enim quod volgatum est *bis dic bis sum ἀκέραιον* Scaliger correxit (cf. Loewius p. 184) eiusque conjecturae fides cum per se manifesta sit, tum Martyrii consensu et aequali ordine augetur. de origine vocis aliquid certi colligimus e glossa quam Vulcanius illi contulit p. 76, 45 *dissum ἀκέραιον*, descendisse enim *bissum* simul et *dissum* a *dviso* patet ea ratione qua *bes* et *des*, Bellii et Dellii extiterunt. sed utrum declinatione vox latina graecam aequet *δισσόν* an coagmentata sit ex *dis bis* et pronomine aut aliquo nomine, mihi parum liquet, neque in illum significatum quomodo pervenerit expeditissimum est ad explicandum, praesertim cum in romanensibus linguis *bis* paene contrariam notionem accepereat ac *biscantare* cantus levitatem existimat negligientiam significet. at tamen potuit fieri ut quemadmodum in compositione verborum imperfecta ad semissis formam redigebant semivirum semianimum semiustum dicentes, sic perfecta et integra ex figura dupondii considerarent, ut quemadmodum Sesculixem et Bimarcum Varro commentus est, sic vernacula festivitate alii *bissam* errationem aut dexteritatem pro plenissima ac solidissima vocarent, ut quemadmodum in Syri sententiis *bis* dat qui dat celeriter, *bis* est mori alterius arbitrio mori, *bis* vincit qui se vincit in victoria, *bis* peccat qui peccanti obsequium accommodat, *bis* gratum est quod ultro offeras, *bis* interimitur qui suis armis perit, quemadmodum *bis* tantum pollicentes audimus vel fieri expertes et intellegimus quam plurimum, ut eodem modo

*bissum* quod proprie esset duplex sive duplicatum, definitioni inser-  
viret integratatis plane inlibatae.

Has a Martyrio traditas glossas eo magis lubuit repetere, quod Cassiodorius plurimas silentio praetermisit, nos autem in eo libello nihil maioris pretii aut magis memorabile deprehendimus. nec paenitet, cum saepe in dialectorum italicarum monumentis aut antiquissimis latinis titulis involuta et occulta verba hariolationibus aperire cogamur, si qui superciliis renuunt huic conamini, exemplo insigni commonefacere quot etiam in eo sermone supersint intri-  
cata aut obscura, quem quod ingenti librorum ac litterarum numero declaratum testatumque accepimus, pernovisse nobis et penitus intellegere videmur. omnia vero investigare ac perscrutari glos-  
semata nobis cordi sit non modo quo exactissima paretur linguae scientia, sed etiam ut curentur veterum scriptorum vitia, quorum in exemplaribus multa huius modi oblitterata esse scimus proce-  
dente tempore cum propter vetustatem obsolevissent, aut postremo a librariis rarissima quaeque destruentibus et ad trita vertentibus maxume. hanc utilitatem glossematum demonstratam a multis, a pluribus laudatam ipse quoque novo exemplo comprobabo. Curculio in fabula Plautina peregre adveniens Phaedromo aliquot iocis lassitudinem suam significat medicinamque exoptat dignam parasito, inter cetera illud ridicule iactat versu 317:

*prospicio parum,*

*Os amarum habeo dentes plenos, lippiant fauces fame:*

*Ita cibi vacuitate venio lassis lactibus.*

apparet caliginem oculorum ita notari, ab his ut ad os gulamque, a visu ad gustum culpa transferatur. itaque quemadmodum lippi-  
tudinem iste in faucibus ponit, sic dentibus eum adtribuere oportuit vitium proprium oculorum. ac viam qua corruptum versum emendaremus bene monstravit Kochius primis verbis contractis in unum *Lacrumarum habeo dentes plenos*. sed neque eam quae litterarum similitudine continetur speciem veri adsecutus est, nec per se satis commode lacrumas ubi maior graviorque oculorum pertur-  
batio explicanda fuit, lippitudinis morbo adiunxit et praeposuit. mihi id quod Plautum scriptum reliquisse adfirmo comoediae graecae memoria suppeditavit, in qua caligantes oculi sic ridentur *νῦν γέ τοι ἥδη καθορᾶς αὐτὰς εἰ μὴ λημᾶς κολοκύνταις* (Aristophanes nub. 327), oculorum vitio etiam animus affectus dicitur *Κρονικαῖς λή- μαις λημῶντες τὰς φρένας ἄμφω* (Plut. 581), senum oculos fumus mordens δόδες ἔβρυνκε τὰς λήμας (Lysistr. 301). quae graece λήμη γλάμα vocabatur, crassa oculorum pituita etiam apud La-

tinos suum habebat nomen, Plautusque cum in Poenulo I 2, 101 *pleni oculi sorderum* protulerit, in Curculionis illa sententia propter ioci ambiguitatem vocabulum proprium ponere debuit

*Gramarum habeo dentes plenos, lippianunt fauces fame.*

Paulus Festi statim post quam ex Epidico Plauti repetitam glos-  
sam *gravastellus* interpretatus est, *gramiae* inquit *oculorum sunt  
vitia quae alii glamas vocant*. Nonius p. 119, 18: *gramiae pituitae  
oculorum*. *Caecilius* 'gramonis oculis ipsa, atratis dentibus', quo in  
versu (263 Ribbeckii) *grammonsis* vel *grammosis* libri praebent pa-  
riter ac Pauli liber Berolinensis in margine *grammae*, Mercerus  
*gramiosis* edidit. Philoxenus *grama λήμη*, Pseudocyrillus *λήμη  
grama*. Celsum medicosque non repperi eo nomine usos, at Plini-  
um nat. hist. XXV 155 sic: *cremnos agrios gremias tollit ocu-  
lorum inpositus*. et significatu quidem proxime ad illud accedunt  
*glarantes oculorum epiphorae* quas caro peponis imposita fronti  
mitigare narratur in Gargili Martialis medicina 15 p. 148, 10  
Rosei. verum huic et similibus verbis de quibus Diezius in lexico  
linguarum romanensium II c *glaire* disputavit non sine haesitatione,  
numqua sit cum *gramis glamis gramiis gremiis* cognatio, illarum  
linguarum periti viderint. Plauto ex his formis, quoniam de pros-  
odia syllabarum nihil constat atque adeo graeca *λημᾶν* et *γλύμων*  
mensuram diversam implent, eam vindicavi quae minumum abesset  
a codicum litteris.

Dialectorum in mentionem italicarum supra incidi. *buf kale-  
đuf* Vmbrorum quisnam sciret quales fuerint, nisi glossematum  
aliqua superesset memoria calidos vocari testantium qui albam  
frontem habeant? multae glossae *casnare* docent esse senem,  
Varro qui in saturis quoque (fr. 494) adscivisse illud creditur pere-  
grina verba latinis ac pristina recentibus miscens, Varro et Ver-  
rius senem ita appellari lingua Oscorum rettulerunt. nunc demum  
hoc nomen apparuit non in Oscis sed in Paelignis, in Corfiniensi  
titulo modo eruto (*Notizie degli scavi, Agosto 1879* p. 224): *pes  
pros ecuf incubat | casnar oisa aetate | C. Anaes solois des forte |  
faber.* Saturnios versus puto, subscribo interpretationem non om-  
niuio quidem sed maxima ex parte certam: sepulcri fines *hos in-  
cubat senex usa id est consumpta aetate K. Annacis omnibus rebus  
dives, fortunae faber.*

Bonnae.

Franciscus Buecheler.